



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterivm

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XCVIII. Cantate Domino canticum nouum, quia &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

Gaudia vera pios nec moritura beent.
In Domino iusti latentur, & ocia ducant,
Gratificaq; eius nomina laude colant.

PSALMVS XCVIII.

Cantate Domino canticum nouum,
quia &c.

Psallite magnifico, noua carmina dicite Regi,
Qui, quacunq; facit, non nisi mira facit.
Vindice qui dextra deuicto extollitur hoste,
Robore diuino brachia sancta mouens.
Latificam populis notam facit esse salutem,
Scire suam gentes iusticiamq; facit.
Fæderis ille memor pacti cum patre Iacobo,
Omnia regna fidem vult memorare suam.
Indigenæ mundi, Domino exultate potenti:
Laudibus & cantu concelebrate Deum.
Psallite grata Deo, citharaq; chelyq; tubaq;
Dulcisonis Regi iubila ferte modis.
Perstrepat Oceanus regi huic, et quicquid in illo
Terraq; non fileat, semine lata suo. (est,
Exultent montes, & ouantia flumina plaudant,
Iam veniente Deo ad iudicis officium.

Bb 2

Ipse

*Ipse Iehoua venit, terras ut iudicet aquis
Legibus, immota iusticiaq; regat.*

PSALMVS XCIX.

Dominus regnauit, irascantur &c.

*E*sto, fremant populi, furor armifer occupet
omnes:

*Cum Dominus noster Rex sit et armipotens.
Terra tremat concussa metu fundamine ab imo,*

Cum Cherubin Dominus maximus insideat.

Incytus est Dominus per mænia celsa Sionis,

Illi⁹ ⁊ populi robora magna timent.

Laudibus extollant magnum ⁊ mirabile nomen,

Quo non est sanctum nomen in orbe magis.

Hoc sub rege vigent leges, ius deniq; ⁊ equum,

Iusticiam tribuit, iudiciumq; Jacob.

Hunc igitur Dominum merito celebretis honore,

Offerat huic flexo poplite quisq; preces.

Legifer hunc Moses coluit cum fratre Aarone,

Cum foret à sacris clarus uterq; Dei.

At Samuel quoties Dominum fido ore rogauit,

Comperit ardentes pondus habere preces.

Nube sua tectus Deus his suaiussa ferebat,

Quæ